



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus  
distributa. Quorum primus De Angelis

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

V. Vtrùm Angeli sint omnino in sua substantia corporei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

conclusio. Angeli omnes fuerunt creati in eodem loco. Probatur primo. Secundo. Tertio.

Probatur primo, quia hæc est communior sententia. Secundo, quia creati sunt per modum vnius reipublicæ, & corporis mystici, & cum subordinatione inter se, sunt enim omnes eiusdem generis, & gradus, & fingere in hoc diuersa genera Angelorum voluntarium est, vt in simili dixit Augustin lib. 11. Genes. ad liter. cap. 19. Tertio, quia nulla ratio probabilis disparitatis, aut differentie constitui potest. Nam inter bonos & malos ante commissum peccatum non debuit in hoc fieri discretio, tum quia illa fuisset quædam pœna imposita ante culpam, quod merito absurdum iudicat Augustinus li. 11. Genes. cap. 17. tum etiam, quia locus confertur ab auctore naturæ, secundum naturæ, aut gratiæ conditionem, vel dignitatem, & inter malos Angelos fuerunt multi perfectiores in naturalibus, & gratia, quam boni. Nec etiam oportuit, Angelos, qui præfunt cælis inferioribus, aut elementis, in eis creati, quia secundum propriam dignitatem, & naturam creati debuerunt, & postea distribui, quando reciperent ministeria. Maxime, cum neq. motus cælorum, neque formatio elementorum simul inceperit.

5. Tertia conclusio. Nō videtur probabile Angelos fuisse creatos in aere. Probatur.

Tertio non videtur probabile, Angelos vel omnes, vel aliquos fuisse creatos in aere. Probatur, quia non est probabile vel omnes, vel aliquos habere corpora, maxime aërea, quod est contrarie opinionis fundamentum, quo destructo ruit sententia. Quia cum Angeli sint nobilissimi spiritus, in nobiliori loco creati debuerunt. Vnde Theophilus Alexandr. in epist. 1. Paschal. circa medium, pro certo statuit, Principatus, & Potestates in cælorum regione conditas esse, quamuis in particulari, quos cælos intelligat, non declareat.

6. Quarta conclusio. Angeli non fuerunt creati in celo empyreo. Probatur primo.

Quarto verisimile satis est, Angelos non fuisse creatos in celo empyreo. Quoad hanc partem non displicet opinio Ruperii, nec eius coniectura sumpta ex comparatione ad hominem. Nam sicut homo non fuit creatus in paradiso terrestri, quia quodammodo superabat naturam eius, sed extra illum, & postea in illum fuit translatus, vt beneficium speciale agnosceret: ita Angeli non debuerunt creati in loco proprio gloriæ, qui est veluti spiritualis paradysus, sed extra illum, vt postea iuxta sua merita in illum transferrentur. Accedit, quod ad illius loci excellentiam, & dignitatem pertinet, vt semper fuerit ab omni labe peccati purissimum, & consequenter quod in illo neq. Angeli peccauerint, ac subinde vt in illum ingressi non fuerint, donec in statu impeccabili constituerentur, ergo maxime ob hanc rationem non debuerunt in illo loco creati. Et potest hoc confirmari ex verbis illis Luciferi, In calum ascendam, & c. vt iam declaro.

7. Quinta conclusio. Angeli fuerunt creati in celo proximo sub empyreo, vel in sydereo. Probatur primo.

Vltimo videtur satis verisimile, creatos fuisse in celo sydereo, vel in eo, quod sub empyreo proxime collocatum est. Hanc opinionem sequutus est Lorrin in 2. Pet. 2. & videtur posse sumi ex Hieronymo, quem citat lib. 6. in Isai. c. 14. circa illa verba, In calum ascendam, quæ prius dicit posse referri ad primum Angelorum lapsum. Et deinde interrogat: Si adhuc in celo positis, quomodo dicit: Ascendam in calum? Et respondet, Sed quia legimus calum cali Domino, cum esset in celo, id est, in firmamento, in calum, vbi solum Domini est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sentit ergo non peccasse in celo empyreo. Nos autem supponimus, vbi peccauit, ibi fuisse creatum, propter breuissimam moram, & quia nec ab alio mutari debuit, nec a se potuit, quia in prima deliberatione peccauit. Consequenter autem idem sequitur de cæteris, iuxta dicta. Fauet Innocent. III. super Psal. 5. Penit. circa id: Sicut oportorium mutabis eos, & mutabuntur, vbi dicit, Angelos peccasse in cælis, in quibus sunt sydera, & luminaria, & ideo probabile esse, illos etiam cælos esse immutandos, & purificandos, quod de empyreo dici non potest. Denique iuxta hanc sententiam cum omni proprietate, & fa-

Secundo.

cilitate intelliguntur Scripturæ, cum dicunt, & Luciferum cecidisse de cælo, & appetisse ascendere in cælum. Sic etiam conuenienter factum esse intelligitur, vt Angeli prius locum naturæ suæ constantem habuerint, postea vero suis meritis condignum receperint. Neque in hoc dicendi modo aliquid difficile, vel incongruum occurrit. Nam quod aliqui obiciunt, quia solum empyreum cælum est immobile, alii vero mouentur, nihil profus inter est: tum quia Angelus non ita est in corpore aliquo, vt ad illius motum necessario feratur, cum locum corporeum non occupet, tum etiam, quia nunc possumus esse in cælis etiam inferioribus, & ad illorum motum non moueri: tum denique quia in illo primo momento, quando creati sunt Angeli, nondum cæli mouebantur, licet sydereum cælum immediate post fuerit motum, quod nihil creationi, vel existentie Angelorum in ipso potuit obstare: nam motor eius vnus ex Angelis fuit, & tamen cum illo motor non fuit. Est ergo hæc sententia verisimilima.

Tertio.

Probatur secundo.

2. Supponit secundo.

Quibus modis natura Angeli possit considerari.

CAPVT V.

Vtrum Angeli sint omnino in sua substantia corporei.

Supponendum est primo, cum Angeli sint substantiæ quædam, vt ostensum est, necessarium esse, vt sint supposita quædam in suis naturis completis substantia, siue ab illis distinguantur, siue non, quod postea attingemus. Quod fundamentum ex ipsa nominis Angeli significatione omnium supposita, consensu recepta sufficienter probatur. Nam sicut hæc vox homo significat rem substantentem in natura naturali completa, ita & nomen Angelus significat rem in completa natura intellectuali substantentem, ita enim vox illa in communi usu recepta est, quia eodem modo Scriptura loquitur de Angelis, sicut loquitur de hominibus tanquam de propriis suppositis in suis integris naturis substantentibus. Potest etiam ratione declarari, quia cum Angelus sit intellectualis natura, non potest non esse per modum actus, & formæ, quia intelligere est magna perfectio, vt statim amplius declarabitur: ergo vel est forma completa, & integra, & sic erit completa substantia, quod intendimus: vel in eo datur actus per modum formæ, sicut est anima rationalis, & sic necesse est, vt aliquam substantialem naturam integram per se componat. Illa ergo natura erit completa in ratione substantialis naturæ, & in illa subsistet aliquod suppositum, quod sit prima, seu completa substantia. Imponatur ergo illi nomen, non enim erit homo, cum altior sit naturæ, & à fortiori non erit cælum, aut terra, vel aliquid sensibile illam inhabitans, quia omnia illa sunt homine inferiora, erit ergo altior quædam substantia, & illam nos Angelum appellamus.

Secundo supponendum est, hanc naturam angelicam substantialem, & completam variis modis concipi, aut cogitari posse, scilicet vel tanquam compositam ex actu, & potentia substantiali realiter distinctis, sicut sunt naturæ corporales. Deinde si simplex sit, cogitari potest vel incorporea, id est, quantitati molis non subiecta, nec habens partium extensionem, quam vel facit, vel requirit quantitas, vel corporalis, & per quantitatem extensa, & tunc necessarium erit, vt sit omnino corporalis, & extensa, quia supponitur esse simplex quoad physicam compositionem essentialiam, in re autem simpliciter non potest distingui pars corporea, & incorporea, vt per se notum est. At vero si natura Angeli ponatur composita ex actu, & potentia substantiali, tribus modis cogitari potest, primo vt vtraque pars sit materialis, & habens extensionem partium ex quantitate, & sub

sub quantitate, sicut habet natura Solis, & lunæ: secundo ut constat ex materia corporea, & quantitati subiecta, & forma spirituali, sicut est anima rationalis; alioris tamen naturæ, & essentialis perfectionis: tertio ut tam forma, quam materia spirituali, & quantitate carent, potest itaque tribus modis cogitari talis natura, scilicet, vel omnino corporea quoad totam naturæ entitatem, vel omnino spiritualis, vel mixta ex corpore, & spiritu. Et duo priores modi possunt subdividui in naturam simplicem, vel compositam: tertius vero tantum per compositionem cogitari potest. Hic ergo solum agimus de primo modo corporalis naturæ, & ideo particulam omnino in titulo addidimus, ut excluderemus tertium modum naturæ corporalis per compositionem: nam licet absolute denominetur corporalis ab inferiori parte, non est tamen omnino, & totaliter (ut sic dicam) corporalis.

In præfenti ergo puncto aliqui ex antiquis senserunt, Angelos esse omnino corporeos quoad totam entitatem substantialem suæ naturæ. Hic error attribui potest antiquis Philosophis, qui nihil esse putabant præter corpora, ut refert Arist. lib. 1. Metaph. & lib. 1. Physicor. per varia capita, & li. 4. Physicor. text. 52. & 67. & D. Thom. dicto opusc. 15. c. 1. Sed isti non tam assererent Angelos esse corporeos, quam negabant Angelos esse. Et horum errorem (ut ibidem D. Thom. notat) sequuti sunt Saducei, de quibus dicitur Act. 23. in eo fuisse errore, ut dicerent, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Vbi Chrysof. OEcumen. Theophylact. Carthul. Lyrantus, & alii dicunt, eos in vniuersum negasse, dari rem spiritualem, etiam Deum ipsum, quamuis credibile non sit, eos negasse, Deum esse, sed hoc asserendo, negasse illum esse spiritum. De Angelis vero non constat, an negauerint omnino illos esse, vel in eodem sensu dicantur eos negasse, quia non spirituales, sed corporeos esse putabant, quos Scriptura Angelos vocat, quod in re erat veros Angelos negare. Vnde Theophylact. ibi idem fuisse putat negare Angelos, quod negare spiritus esse. In eodem errore fuit Tertull. teste Sidor. lib. 8. Etymolog. cap. 5. & sumitur ex illo lib. de carne Christi, c. 6. Et licet Pamel. paradox. 2. reuocet hoc in dubium, tamen cum alibi Tertullian. non solum animam rationalem, sed etiam Deum corporeum faciat, ut idem Pamel. paradox. c. 7. & 15. late refert, non videtur dubitandum, quin idem de Angelis senserit. Vnde non solum corporeos, sed omnino corporeos esse consequenter dicere debuit. Quia si Deum credidit esse corporeum, & inde intulit animam rationalem esse corpoream, necesse est, ut de naturâ angelica vel simplici, vel de anima eius, si compositam esse credidit, idem senserit. Et hæc illi tribuit Augustin. lib. 10. Gen. ad litter. c. penult. & vlt. vbi de illo dicit, Timens ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo voluit aliter sapere. Et epistol. 158. ad Optatum multa habet similia.

Pro hac etiam parte referri possunt nonnulli ex Patribus, & Doctoribus Catholicis, qui in hoc differunt à præcedenti errore, quod Deum fatentur esse incorporeum, in eo vero conuenire videntur, quod nihil creatum putant esse incorporeum. Nam si id verum est, profecto Angeli nec incorporei esse, nec partem aliquam, seu formam incorpoream habere possunt, quia quicquid habent creatum est, atque ita sit iuxta illud generale pronuntiatum, ut sint omnino corporei in sensu supra explicato. Illud autem principium tradere videtur Hilcan. 5. in Matt. dicens: Nihil est, quod non in substantia, & creatione corporeum sit, siue in celo, siue in terra, siue visibile, siue invisibile, elementa formata sunt. Nam & animalium species, ne obimentium corpora, siue corporibus exulantiur, corpora tamen natura sua substantiam sortiuntur, quia omne, quod creatum est, in aliquo sit necesse est. Sic etiam dixit Elias in Orat. Nazian. 5. nihil enim mihi. Solum Deus circum-

scriptiois expertus est, quia solum proprie corpore vocat: circumscripti autem Angeli, quia nec incorporei proprie sunt, etiam si nostri respectu incorporei dicantur. Et Cassian. collat. 7. cap. 13. Licet pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut Angeli, anima nostra, & aer subtilis, tamen incorporea nullatenus asserenda sunt, habent enim secundum se corpus, quo subsistunt. Et adducit verba Pauli 1. Corinth. 15. dicens esse corpora caelestia, & corpora terrena, & c. Quibus (ait) manifeste concluditur, nihil esse incorporeum, nisi solum Deum. Et similes sententia habetur in lib. de Ecclesiast. dogmatib. ca. 11. vbi similiter dicitur, nihil esse naturam incorpoream, nisi solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Et inc. 12. additur, Angelos licet non habeant carnem, esse corporeos, & ratio redditur, quia localiter circumscripti sunt. Huius sententia videtur fuisse Machar. senior tom. 4. Biblioth. hom. 4. quia non solum Angelos, & demones, sed etiam animas hominum dicit esse corpora tenuia, & subtilia, vnde etiam indicat, Angelos esse entitates simplices corporeas, sicut de anima sentit. Imo etiam in eodem sensu Ioan. Thessalon. in VII. Synodo relatus dixit, Angelos esse corporeos, quod etiam de anima affirmat, vnde plane intellexit, omnino esse corporeos. Cui Patres alii illius Concilii non contradixerunt, quia non de illa re agebatur. Denique Faustus quidam libellum edidit, quo conatur ostendere, creaturis nihil incorporeum inesse, ac subinde Angelos omnino esse corporeos, habetur tom. 4. Biblioth. Non asserit tamen argumenta alicuius momenti, & præcipuum est, quod Angeli, & anime sunt locales, id est, intra certos loci, aut corporis terminos inclusi, & consequenter circumscripti.

Nihilominus certum, & extra opinionem esse existimo, Angelos non esse omnino corporeos in sensu declarato. Quem magis explicare libet verbis Augustini episc. 28. vbi cum itauisset, animam esse incorpoream, addit: Ne verbi controuersiam vel superfluum faciam, vel inuitus pariar. Si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quod a se inuincuntur id, quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solum placet incorpoream appellari naturam, que summe incommutabilis, & vbi que tota est corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine latitudine altitudine ita consistit, vel mouetur, ut maior sui, arte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minus que sit in parte, quam in toto, non est corpus anima. Quia ergo corpus, vel corporeum proprie non dicitur nisi hoc vltimo modo, vtiq; de entitate huiusmodi extensionem habente, & de conuerso sola illa res dicitur incorporea, quæ huiusmodi extensionis incapax est, ideo in hoc sensu dicimus, Angelos non esse omnino corporeos, sed in sua substantia aliquid habere incorporeum per modum actus, seu formæ, siue illa sit tota illorum substantia, siue non. Quam assertionem auctoritate ostendemus in capite sequenti.

Nunc breuiter ratione illam probamus primo, quia Deus secundum fidem est incorporeus dicto modo, ut nunc supponimus, ergo potuit condere aliquam entitatem creatam sibi similem in illa proprietate, ergo aliquam talem condidit, ergo maxime naturam angelicam, vel saltem ex tali entitate substantiam Angeli composuit. Prima consequentia probatur, quia nulla potest ostendi repugnantia, quod creatura illam Dei proprietatem participet inferiori quidem modo, vere tamen, & proprie, tum quoad indiuisibilitatem substantia, & carentiam extensionis, & compositionis ex partibus quasi integrantibus substantiam, tum quantum ad independentiam à materia molis quantitatis capacis; his enim modis, & non aliis rationem incorporeæ substantia explicare possumus. Neque illi, qui solum Deum faciunt incorporeum, si in hac proprietate loquantur, rationem probabilem asserunt, quæ repugnare creaturæ esse incorporeæ, ostendunt. Sicut enim

5. Vera sententia. Certum est Angelos non esse omnino corporeos.

6. Probatur ratione prima.

gunda vero consequentia probatur, tum quia Scriptura sepe loquitur de creaturis spiritualibus, illas à corporibus distinguendo, & potest cum proprietate intelligi: tum etiam ex perfectione operum Dei, ad quam spectat, vt fecerit vniuersum sibi maxime simile quoad omnes rerum gradus, vt D. Thomas 1. p. qu. 50. art. 1. argumentatur, & nos in dicto loco *Metaphysica* laus prosequuti sumus. Vltima vero consequentia probatur, quia creatura, si datur incorporea, ex genere suo perfectior est, quam corporalis, cum Deus incorporeus sit, Angeli vero sunt in supremo gradu creaturarum, vt ex dictis in præcedentibus constat, & ex toto discursu materiæ constabit, ergo si aliqua creata substantia incorporea est, maxime angelica natura esse debet.

7.  
Probatur  
secundo.

Vnde argumentor secundo, quia homo non est pure corporeus, sed animam habet incorpoream, ergo multo minus Angelus, sed vel erit purus spiritus, vel ad minimum compositus ex spiritu. Antecedens certum censo, ac de fide, quia in cap. *Firmiter* definit Concilium Lateran. sub Innoc. III. humanam naturam ex spirituali, & corporali esse compositam. Vnde de fide etiam censo, animam hominis esse incorpoream, & ideo ibi spirituales vocari. Idemque sumitur ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 8. definiente, animam rationalem esse natura sua immortalem, ac subinde independentem à corpore, & incorpoream. Vnde Augustin. *Psal.* 145. non longe à principio, *Anima*, (inquit) *res spiritualis est, res incorporea est, vicina substantia Dei.* Et *epist.* 157. attingens errorem Tertulliani, qui dixit, animas esse corporeas, & corpulentis seminibus exoriri, addit: *Quo peruersus quid dici potest?* Et addit, Tertullianum ideo in illum errorem incidisse, quia Deum etiam putauit esse corporeum. Et *lib.* 10. *Genes ad liter. capit.* 24. addit, cum anima sit ad imaginem Dei, nihil vicinius, aut fortasse vbi tam consequens, quam vt credito, quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur. Vnde concludit, *Nemo audeat dicere, animam esse corpus.* Ac tandem in capitibus sequentibus in Tertullianum inuehitur. Et hinc etiam Ildor. *lib.* 8. *Etymolog.* inter alios hæreticos ponit Tertullianos, quod animam corpoream, licet immortalem, esse dicerent. De qua re infra in tract. 3. dicturi iterum sumus, hæc vero in præfati præmittere necessarium fuit, quia ex hoc principio necessario concluditur, quod intendimus.

8.  
Confirma-  
tur primo  
consequenti-  
a proximi ar-  
gumenti,  
seu ipsa ve-  
ra sententia.

Probatur ergo consequentia in hunc modum quia si natura angelica est omnino corporea, vel est tanquam composita ex materia corporali quantitati subiecta, & forma illi coextensa, & corporea, vel est vt entitas simplex omnino corporalis: vt rumque autem repugnat his, quæ de perfectione angelicæ naturæ fides docet, ergo. Maior explicata iam est, nec tertium membrum excogitari potest. Minor quoad priorem partem probatur ex dictis, quia forma spiritualis, & incorporea perfectior est, quam materialis, & corporea, sed ostensum est, animam, quæ est forma hominis, esse incorpoream, ergo necesse est formam angelicam (si vlla est) esse incorpoream, quia probatum est, naturam Angeli esse humanam perfectiorem. Adde demonstratum etiam esse, naturam angelicam esse intellectualem: si autem constat corpore materiali, & aliqua forma, non potest esse intellectualis ratione corporis, vt est per se notum, ergo ratione formæ, ergo necesse est, formam illam esse incorpoream, quia inde maxime constat, animam hominis esse incorpoream, & spiritualem, quia intellectualis, seu rationalis est. Et hinc euidentius probatur membrum aliud de simplici entitate. Primo quia substantia simplex, completa & corporea fortasse non est possibilis, vt de substantiis corporum cælestium communior opinio fert, vel certe si possibilis est, imperfectissima erit, quia maxime potentialis, & materialis, vt in *Metaphysica* *diff.* 13. *sect.* 10. ostendi, hoc autem est contra dicta

Confirma-  
tur secundo

de perfectione angelicæ naturæ. Secundo quia talis entitas multo minus esse potest capax intellectualitatis, quam quilibet corporalis anima. Imo minus esset capax visionis diuinæ, quam corporalis oculus, iuxta discursum Augustini in dicta *epistol.* 111. Et propterea merito dixit idem Augustin. *Sit licet corpus angelicum, inferius est quam anima*, quia siue fingatur corpus, quod sit pars naturæ, siue corpus simplex, quod sit tota, & integra natura, semper est magis potentiale, & minus capax intelligentiæ, & præcipue diuinæ visionis. Sit ergo omnino certum, & ex principiis fidei euidenter consequens, angelicam naturam omnino corpoream non esse.

Ad auctores vero in priori ordine in contrarium allegatos nihil respondere oportet, nisi eos errasse, quauquam de Tertulliano aliquid statim addemus, Ad posteriores vero primo dicimus, cum circa Deum non errauerint, potuisse sine pertinaci errore circa creaturas errare, quia tunc non erat veritas quoad hanc partem, vel etiam quoad animam rationalem tam manifesta. Quocirca de illo Ioanne Theffalonicensi fatemur fuisse illius sententiæ, imo etiam sensisse corpora angelica habere figuram, secundum quam depingi possunt, vt in dicta VII. Synodo refertur. Sed quia ibi non de angelicis corporibus, sed de imaginibus agebatur, Concilium assertionem probauit, rationem autem nec probauit, nec improbauit, nec disputare voluit. Et ideo Tarasius *ibidem* recapitulando sententiam illius, solum acceptat conclusionem, & aliam rationem ab illo tactam, scilicet, quod Angeli depinguntur in forma humana, quia in illa apparuerunt. Vnde in eodem Concilio *Cur Angeli* *sess. præcedenti circa finem* dictum fuerat, ex sententia *specie humana* Athanasii Angelos esse incorporeos, depingi autem *na depingi* symbolice, & hoc etiam, quod ad imagines attinet, tur. nihil de ratione asserendo, Concilium acceptauit.

Addendum vero est, aliquas locutiones Patrum pie posse exponi, vt v. g. quod Hilarius, & Cæsarius corporeum vocent omne ens, quod non est purus actus, infinitus, & immensus, quomodo solent Angeli materiales vocari comparatione Dei, quia aliquid potentialitatis habent. Quam expositionem indicauit Augustinus in verbis, quæ ex *epistol.* 28. citant. Quin potius idem Augustin. *lib. de hæresi. cap.* 86. etiam Tertullianum hoc modo ab hæresi excusat in eo, quod Deum corporeum esse dixit, quod non proprie de corpore extensionem & molem habente id intellexerit. Sed per quandam translationem, vt explicaret, non esse aliquid inane, nec alterius qualitas, aut pars, sed ens verum in se existens, & vbi que totum, *quamuis de anima*, (inquit) *priori etiam modo corpus esse senserit.* Aliis vero locis nec à priori errore illum excusat. Neque nos oportet esse de ea resolicitos, quia & catholicus non fuit, & in hoc satis clare loquutus est, vt Pamelius *paradoxo* 15. notat. Neque eo, quod Paulus cælestia, & terrestria corpora distinguit, recte, vel apparenter colligit Casianus, nihil esse incorporeum, nisi Deum, quia vel Paulus per cælestia, & terrestria corpora nihil aliud, quam cælos incorruptibiles, & corpora corruptibilia intelligit, & non dicit, nihil esse in operibus Dei, præter vtraque illa corpora, igitur præter illa incorporea substantiæ creata esse possunt. Vel Paulus loquitur de corporibus hominum, & terrestria vocat hæc corpora mortalia, cælestia vero quæ in gloria existunt, iuxta id, quod statim subiungit: *Seminatur corpus animale, resurget autem spirituale*, qualitate vtique, non substantia, per hoc autem non negat, quin detur substantia spiritualis vere incorporea, vel etiam neutro corpore indigens, vt iam de Angelis dicemus.